

Contenta

Formula reformationis

S. Cas. Nris de S. S. S. S.

Oratio legatorum regis Galie

Epitaphia et exhortatio regiam

Oratio in duobus

Epitaphia legum

Oratio de rebus

Oratio de rebus

Regum de rebus

40


fo
6



Beibd 2
3

CÆSARES
GERMANICI DESCRIP
TI A GEORGIO
SABINO.

∴



Dno Martino Cromero.

CESARE
GERMANICI DESCRIP
TI A GEORGIO
SABINO.

ILLVSTRI
PRINCIPI AC DOMINO DOMI-
NO IOACHIMO MARCHIO-
ni Brandenburgensi, ac Duci Stetinensi &
Pomeraniæ, Burggraui Noriber-
genſi, &c. Principi ſuo
clementiſſimo.
Georgius Sabinus S. D.

DEſcripſi paucis verſibus germanicos Cæſares, vt diſſipatas hitorias noſtrorum Principum in bre- ue compendium contraherem. Nemo enim vnus vllius Imp. integram hitoriam complexus eſt, credo, quod in Germania hi qui plurimum ingenio, iudicio, ac doctrina valuerunt hactenus, impediti occupationibus non potuerunt ea, quæ gerebant, ſcribere. Interim, dum nemo perpetuam hitoriam conſcribit, aliud aliud annotauit, ne maximarum rerum memoria prorsus intercidet. Quare ex varijs monumentis & ſeriem noſtrorum Principum, & res geſtas collegi, idq; non eo tantum feci libenter, qd' arbitrabar libellum gratum fore noſtris hominibus propter res patrias, Sed quia vere ita iudico noſtros Imperatores fere omnes ſapientia, & magnitudine conſilij atq; animi, pares fuiſſe laudatiſſimis Principibus Græcis ac Romanis, iuſticia vero & religione, & fide etiam ſuperiores. Enituit enim virtus eorum in maximis totiùs Europæ motibus, in diſſidijs religionum componendis, in defendenda Italia atq; Germania aduerſus barbarorum incurſiones, in conſtituenda perpetua imperij forma, quibus in rebus apparet

nullam eis artem defuisse aut domi aut foris regendæ
reipub. Quare facile se vindicare a conuicio barbaricæ
varietate & magnitudine rerum gestarū possunt. Neq̃
vero sine insigni virtute in hanc nationem hoc Augu-
stum imperij nomen inferre poterāt, quod in terris sum-
mum est, & cuius tutelæ præcipua pars orbis Christiani
commendata est. Huius operis specimen tibi mitto
clarissime Princeps, Nulli enim rectius putavi tanto-
rum Heroum historias dedicari, quam Cels. T. non so-
lum, qđ in his pleræq; res tuæ, ac maiorum tuo-
rum domesticæ continentur, Sed etiam quia te pro tua
sapientia sciebam in primis harum rerum magnitudinē
intelligere, & commemoratione earum affici atq; dele-
ctari. Itaq; rogo vt Cels. T. clementer hunc libellum
accipiat, quem nunc non edidi integrum, quodam stu-
dio declarandi mei erga te officij properans, nimium
fortasse, sed tamen habeo quandam mei consilij ratio-
nem. Nam si hæc initalia boni consules, addes mihi
animum, non solum addendi cætera, sed eti-
am, vt meliora efficiam tuo fauo-
re excitatus. Bene valeat

Cels. tua.

Anno

M. D. XXXII.

CAROLVS MAGNVS.

CAROLVS antiquis Francorum regibus ortus,
Imperij meruit vindice sceptrum manu,
Cum Desiderij fera contudit arma tyranni,
Finibus ausonijs qui metuendus erat.
Cumq; rebellantes per multos saxonas annos,
Traiecto domuit flumine Moene tuo.
Excisis Auarum compefcuit urbibus Hunnos,
Gens quibus asperior cognita nulla fuit.
Condidit & septem deductis castra colonis,
Pæoniæ celsis aspicienda iugis.
Atq; Saracenos ab Iberi depulit vndis,
Irrigat Hesperios huc vbi Batis agros,
Astrorum cursus, & fata regentia mundum,
Scrutari solitus tempore pacis erat.
Addictusq; fuit concessa per ocia musis,
Doctus in alternos cogere verba pedes.
Carmina, morte quibus Rolandum fleuit ademptum,
Quatuor hæc eius nomine vulgus habet.
Tu patriam repetis, tristi nos orbe relinquis,
Te tenet aula nitens, nos lachrymosa dies,
Sed qui lustra geris, binos octo super annos,
Ereptus terris, iustus ad astra redis,
Teutones arctois etiam quibus vtimur oris,
Nomina bis senis mensibus ipse dedit.
Cum quater, a decimo, tria lustra peregerat, anno
Vltima longæuum fata tulere senem.

A iij. Ludouicus

LVDOVICVS PIVS.

Filius imperij coepit Ludouicus habenas,
Nomen ab insigni qui pietate tulit.
Hic studium pacis cum bella perosus amaret,
Marte tamen clarus militiaq; fuit.
Cimbrica sedato pacauit regna tumultu,
Exitium fratri fratre mouente suo.
Et Britones sumptis absistere compulit armis,
Stricta iubens saeva ponere tela manu.
Expulit Ausonios & Tybridis vrbe Quirites,
Qui caput exorta seditionis erant.
Foelix, si sterili sobolem natura negasset,
Nullus & vxoris cognitus esset amor.
Quos genuit natos, crudeles repperit hostes,
A quibus heu captus vincula saeva tulit.
Mox tamen ereptus fatali carceris antro,
Coepit honorata reddita sceptrum manu.
Emeritam clausit supremo fine senectam,
Mogus vbi Rheni cornua miscet aquis,

LOTHARIVS I.

LAude nihil dignum fama; Lotharius egit,
Intulit iniustus fratribus arma suis,
A quibus aduerso belli certamine uictus,
Tristitia cum turpi damna pudore tulit,
Dignus hic iniustis solet exitus esse tyrannis,
Impius in tantum quos scelus error agit

Nominis

Nominis vtfama, regniq; cupidine ducti,
Horrida cum proprio fanguine bella gerant.

L V D O V I C V S II.

Regia defuncti Ludouicus fceptra parentis,
Imperij fummo dignus honore tulit.
Vandalicæ fregit fuperato principe gentis,
Inftabiles animos, inftabilemq; fidem.
Huius vt in duro virtus eft cognita bello,
Sic etiam miti cognita pace fuit.
Ingenuas coluit ftudijs ac fumptibus artes,
Quæ multis odio regibus effe folent.
Tempore Cæfareas à quo fufcepit habenas,
Bis geminis luftris additus annus erat
Aufonijs placida cum morte quifeuit in oris,
In fubrum celebri conditus vrbe iacet.

C A R O L V S C A L V V S.

Carolus imperij fraudauit honore nepotes,
Qui licet iniuftus, vir tamen acer erat.
Deuicit Lygurum populantes æquora Mauros,
In celerem vertens barbara terga fugam.
Et procul occiduo fubmotos orbe Britannos,
Compulit optatæ pacis amore frui.
Mincius Andinos vbi flumine proluit agros,
Mixa bibit medici fraude venena fui.

Carolus

CAROLVS CRASSVS.

CRassus ab infesto submouit Pannonas Istro,
Cimbrica victricis fudit & arma manu.
Sed quam fortis erat primis & strenuus annis,
Tam senio factus mollis inersq; fuit.
Regis ob ignauam priuatus nomine vitam,
Turpiter imperio decidit ipse suo.

ARNOLPHVS.

ASpera cum Cimbris Arnolphus praelia gessit,
Quos patria domitos victor abegit humo,
Gallia qui longo vastantes oppida bello,
Non leuis imperio causa timoris erant.
Coepit & Ausoniam depulsis ciuibus urbem,
Templaq; militibus diripienda dedit.
Quas meruit iustas soluit pro crimine poenas,
Syllanis moriens vermibus esca fuit.

LVDOVICVS III.

Tertius indomitis Ludouicus victus ab Hunnis,
Multa tulit forti non patienda viro.
Perdere vindicibus quos vltor debuit armis,
Turpiter his empta pace tributa dedit.
Ingressus modico Veronae milite portas,
Venit in hostiles, captus ab urbe, manus
Supplicioq;

